

LIBER

rum naturam, quæ ni machinata uersarentur nõ habuissimus in terra lucem, nec fructuum maturitates. Cum ergo maiores hæc ita esse animaduertissent, e rerum natura sumpserunt exempla, & ea imitantes inductirebus diuinis, commodas uitæ perfecerunt explanationes. Itaq; comparauerunt, ut essent expeditiora, alia machinis & earum uersationibus, nõnula organis. Et ita quæ animaduertenterunt ad usum utilia esse studiis, artibus, institutis, gradatim augenda doctrinis curauerunt, Attendamus enim primum inuentum de necessitate ut uestitus, quemadmodum telarum organis administrationibus connexus staminis ad subtegmen, non modo corpora tegendo tectantur, sed etiam ornatus adiciant honestatem, Cibi uero non habuissimus abundantiam, nisi iuga, & aratra bobus iumentisq; omnibus essent inuenta, Suctularumq; & prælorum, & uectium, si non fuisset torcularis præparatio, neq; olei nitorem, neq; uitiũ fructum habere potuissimus ad iucunditatem, Portationesq; eorum non essent, nisi plaustrorum, aut sarracorum per terram, nauicularum per aquam inuenta essent machinationes, Trutinæ uero Libræq; ponderibus examinatio reperta uindicat ab iniquitate iustis moribus uitam, Nõ minusq; sunt innumerales moderationes machinationum, de quibus nõ necesse uidetur disputare, quoniam sunt ad manum quotidiana, ut sunt rotæ, folles fabrorum, rhedæ, ciffia, torni, cæteraq; quæ cões ad usum cõsuetudinibus habent opportunitates, Itaq; incipiemus de his quæ raro ueniunt ad manus (ut nota sint) explicare.